PA 427
.F7
Copy 1

DE
VERBIS POTIORIBUS,
QUIBUS
OPERA STATUARIA GRAECI NOTABANT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE II M. IULII A. MDCCCLXXIII

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAXIMILIANUS FRAENKEL

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CHRISTIANUS BELGER, PHIL. DR.
CAROLUS LINCKE, PHIL. STUD.
RUDOLFUS WEIL, PHIL. DR.

LIPSIAE, TYPIS BREITKOPFII ET HAERTELII.

PA427
.F7

DE

VERBIS POTIORIBUS,

QUIBUS

OPERA STATUARIA GRAECI NOTABANT,

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS FRAENKEL.

ERNESTO CURTIO

ADOLFO KIRCHHOFFIO

PRAECEPTORIBUS CARISSIMIS

SACRUM.

Constat scriptores graecos multo rarius de artis suae sive universa indole sive singulis monumentis verba facere, quam pro eius dignitate et praestantia nobis, qui veram artium naturam per Graecos quasi vivam oculis obiectam esse inde a Lessingio et Winckelmannio intelleximus, initio par videtur esse. Attamen si quis accuratius inspexerit, hanc rem non solum non indicium esse videbit, nationem, vel certe scriptores, artes parvi duxisse, sed singularem etiam in modum aestimavisse. Divitias enim suas nemo gloriatur, nisi qui pauperiem esse novit: itaque Graeci, cum ingenuam vitam sine arte ne cogitare quidem possent, non magis impellebantur, ut sibi de ea rationem redderent, quam de aliis rebus cotidianis ac plane necessariis. Certe florentibus artibus, cum praeclarissimorum operum ingentem multitudinem in dies Graeci crescentem viderent atque ex uniuscuiusque aetatis mutata condicione semper denuo monumentis animos commoveri sentirent, non poterant non in ipsa hac delectatione adquiescere. Cum vero post Lysippi aetatem vetera monumenta non iam novis obscurarentur, parata erant ingenia ad copiam illam operum digerendam, scriptoresque operam dare coeperunt, ut singula describerent et ad suos quaeque auctores referrent. Via autem, quam oriens doctrina ingrediebatur, non ea erat, ut ratione chronologica statim artium historiam constituere scriptores conarentur, sed ut eis, qui e peregrinis regionibus singulas urbes adibant, quae visu digna essent, commodo conspectu enumerata praeberent. Itaque libros conficere studebant easdem

res continentes, quas antea a periegetis, e quorum narratione maximam eorum partem fluxisse constat, peregrini discere solebant. Clarissimus autem talis descriptionis auctor Polemo erat.

Quamvis hac etiam consideratione clare eluceat, apud Graecos omnia, quae ad artes pertinent, leges ipsa earum natura constitutas summa constantia secuta esse, tamen quod fontes nostri tam seri et rari sunt, valde dolemus. Accedit quod Pausanias, e quo, cum solus periegetarum aetatem tulerit, doctrinam nostram praecipue haurire debemus, altum fere silentium tenet de omnibus rebus, quae non ad monumentorum externum habitum pertinent. Nostrum igitur est, ut accuratissima interpretatione tantum quidem e testimoniis eliciamus, quantum graecos lectores docere poterant, quae via, primo ab Henrico Brunnio amplo consilio ingressa, quam recta sit, demonstratur monumentis apud scriptores memoratis, quae hodie adhuc in museis exstare, ut probarent cum aliis tum Brunnio ipsi contigit. Ad quam interpretationem accuratius instituendam pauca contribuere, huius dissertationis finis est, atque cum scriptores, ut singula monumenta designent, pluribus verbis uti videamus, quorum differentiam neque ipsi diserte exponunt neque e lexicographorum et grammaticorum adnotationibus satis cognoscere possumus, id egi, ut ipso scriptorum usu horum verborum notiones definiam. Quem laborem ne periti plane inutilem censeant, non timeo: adparet enim, ratione cognita, qua populus aliquis monumenta artis in genera distribuerit, plurimum conferri ad cognoscendum, quonam modo ea contemplatus sit. Neque, si singula spectas, idem valet, num opera a scriptoribus memorata ut rotunda aut anaglypta[1]), sive

1) Liceat commemorare virorum doctorum disceptationem de anathemate, quod Attalus rex in arcem Athenarum dedicavit, secundum locum quendam Pausaniae, de quo sententia nostra infra referenda erit.

ut marmorea aut aenea nobis repraesentemus. Minime tamen ipse credo, totam rem a me etiam carceribus voluntario constitutis nunc absolvi posse, quod fortasse non nisi multorum viribus unitis ita fieri potest, ut horum verborum accurata historia scribatur. Contentus ero materiam congessisse, qua aucta sive alii sive, Deo favente, ipse posthac definitiones meas aut melioribus repertis reicere aut conformare possim.

Dissertationum, quae hanc materiam tractandam sibi proposuerunt, duo ad Pausaniam, qui a nobis quoque praecipue respiciendus erat, solum spectant: altera J. H. Schubarti »die wörter ἄγαλμα, εἰκών, ξόανον, ἀνδριάς cet. nach Pausanias« inserta Philologi vol. XXIV p. 561 seqq., altera Siebelisii, qui nonnulla in praefatione Pausaniae sui adtulit. Brevem verborum simulacra designantium conspectum unius scriptoris usu non circumscriptum Overbeckius dedit in actis soc. scient. saxon. 1864 p. 239 seqq. (»über die bedeutung des griech. goetterbildes« cet.), cuius mihi liber inscriptus »die antiken schriftquellen« (Lips. 1868) utilissimus erat.

Priusquam ad singula discernenda accedimus, jam monere volumus, nullum inveniri linguae graecae verbum, quod universe statuam. nedum artis opus significet, sed unicuique notionem certi et definiti generis inesse. Quae res sane notatu digna ex alia parte probat, quod hui. dissert. initio iam exposuimus: quantum absit, ut Graeci sibi de arte sua certam rationem reddiderint, quod si fecissent, communem notionem, qua singula complecterentur, invenirent linguaque designarent, necesse erat. Videmus igitur, eos singula, quae repraesentata erant, cernere satis habuisse.

Βρέτας.

Vox in bonae aetatis prosa oratione omnino non obcurrit neque saepe usurpatur a pedestribus scriptoribus inferioris temporis (ut a Strabone VIII p. 385 C), interdum vero apud poetas invenitur. Notio eius est *simulacri ad cultum destinati*. Pluries ita antiquissimum Minervae Poliadis simulacrum, quod e caelo deiectum esse credebatur[1]), in Atheniensium acropoli collocatum, notatur: Aesch. Eum. 80[2]), ubi Apollo Oresti: μολὼν δὲ Παλλάδος ποτὶ πτόλιν | ἵζου παλαιὸν ἄγκαθεν λαβὼν βρέτας; ibid. v. 242. 259. 409. 439. 446. 1024. Locum Aeschyli modo exscriptum imitatus est Euripides[3]) Electr. 1254, Dioscuros eundem Orestem iubere faciens: ἐλθὼν δ' Ἀθήνας Παλλάδος σεμνὸν βρ. | πρόσπτυξον. Eurip. Phoen. 1250 amici Polynicem admonent: ἐν σοὶ Ζηνὸς ὀρθῶσαι βρ. τροπαῖον, cui loco respondet eiusdem tragoediae v. 1473: οἱ μὲν Διὸς τροπαῖον ἵστασαν βρ. Tropaea enim, quod simulacrorum vice fungebantur[4]) atque sicut antiquissima deorum signa e ligno fabricabantur[5]), βρέτη Iovis appellari poterant. — Scholiasta Mediceus ad Aesch. Sept. 94 βρ. reddit voce q. e. ξόανον.

Ex eo quod βρ. apud poetas modo obcurrit, certissime probari mihi quidem videtur, illam vocem omnium antiquissimam esse ad deorum simulacra designanda. Verba enim a poetis tantum usurpata non eos, ut orationi suae singularem quendam colorem inferrent, finxisse quisquam credat, sed amplectebantur ea, quae e vulgari sermone, cum scri-

1) Cfr. Paus. 1, 26, 6.

2) Versuum tragicorum numerum indicabimus secundum G. Dindorfii Poett. scenic. editionem quintam.

3) Apud Sophoclem βρ. non reperitur.

4) Cfr. Kekulé, Nike-Balustrade p. 10 et quae illic laudantur.

5) V. e. g. Schoene, griech. reliefs n. 97. 98, qui apte adfert Diod. XIII, 24, 5. — Boettiche r., baumcultus p. 71 sqq.

bebant, iam evanuerant, quippe cum vocibus obsoletis solemnis et augusti species quaedam insit, qua poetae libenter sermonem ornant. Non igitur clariore summae vetustatis indicio indigemus: idem fere est, quod tragici attici antiquius ᾱ, quod sermo vulgaris in η mutaverat, in partibus lyricis conservant, ut gravitati et maiestati sermonis consulant. Quae res ex ipso linguae usu observata, optime congruit cum etymologia, quam Georg. Curtius (grundzuege p. 518) exponit: is enim radicem βρε eandem esse veri simillimum ducit atque *var*, e quo *vereri revereri* derivata sunt, ita ut βρέτας fere *quod colitur* significet[1]). Conicias igitur hac voce, a cuius significatione omnis notio abest, qua certus fabricandi modus aut aliquid artificiosi designetur, Graecos usos esse, cum non iam simulacra, sed lapides[2]), ligna[3]), arbores colebant, evanuisse autem e prosa oratione, antequam signa alia atque lignea fabricari coepta sunt. Certe ubicunque obvenit, lignea simulacra designat, qua de causa etiam equum Troianum Eurip. Troad. 12 βρέτας[4]) appellare potuit, quippe cum verba, quae simulacra significant, fere omnia et de anathematis usurpentur[5]). — Ligneam materiam quoque in prosa oratione retinet schol. Platon. Eutyphr. p. 328: τῶν πρὸ ἐκείνου (Daedalum dicit) συμβεβηκότα τὰ βρέτη ἐργαζομένων, non vero retinet Clemens Alexandr. Protrept. IV 48, qui notum illum Serapis simulacrum a Bryaxe confectum[6]) βρ. appellat, quod eodem loco multis variis metallis lapidibusque fabricatum esse dicit. Sed

1) Suidas et Hesych. s. v. βρέτας interpretantur παρὰ τῷ βροτῷ ἐοικέναι.

2) Paus. 7, 22, 4. — Overbeck., acta soc. saxon. 1864. p. 144 sqq.

3) Boetticher., baumcult. p. 226 seqq.

4) Haec est lectio codicis Vaticani, recepta a Kirchhoffio.

5) Cfr. de eodem equo ligneo Eurip. Troad. 525: τόδ' ἱερὸν ἀνάγετε ξόανον | Ἰλιάδι διογενεῖ κόρᾳ.

6) Brunn., gesch. d. griech. Künstler I p. 384.

Clementem, qui, ut orationem variaret, idem signum ξόανον et ἄγαλμα et, quod non rectius quam βρέτας, ἀνδριάς vocat, de principali harum vocum significatione cogitavisse certe haud exspectes.

Ξόανον.

ξόανον, derivatum e verbo ξέειν, recte dicit OVERBECKIUS (l. l. p. 249), *deorum simulacra ut ab hominibus fabricata* designare. Hanc vocem locum antiquissimi βρέτας occupasse pro certo habeo, cum lapidum cet. cultu obsoleto primum deorum effigies eaeque ligneae confici coeptae sunt, neque iam aliud quid arti religionis legibus constrictae fingere licebat[1]). Quare significatio et deorum simulacri et vetustatis aeque huic verbo multis locis manifesto inest neque unquam de hominum effigie usurpatur. Prior evincitur eo, quod persaepe simulacrum dei alicuius in ipso eius templo notat, cuius rei pauca exempla adferre satis erit: Paus. 2, 25, 10; 30, 1 et 2; 32, 5. 3, 14, 4; 23, 1 et 3; 25, 3. 7, 26, 6; altera, quod ἀρχαῖον non raro diserte additur, ut Paus. 1, 23, 7 (de signo Dianae Tauricae, quod Braurone extabat); 33, 1. 2, 2, 3; 10, 1; 12, 1. Strabo XIV p. 640 C. Cum qua vetusti notione inculti non poterat non coniungi, itaque Paus. 1, 36, 2 ξόανα ὡς ἕκαστον ἔτυχε πεποιημένα obponit simulacro, quod ἄγαλμα σὺν τέχνῃ dicitur.

Aetatem, quam huic significationi oriundae supra adsignavimus, concludimus ex eo, quod ξ. praecipue de ligneis simulacris adhibetur, a quo usu Pausanias numquam deflectit, qui 8, 17, 2 de materia, qua ad ξόανα conficienda homines olim (τὸ ἀρχαῖον) usi sint, disserens ligni modo genera

1) Masurius Sabinus ap. Serv. ad Aeneid. 2, 225: *delubrum effigies a delibratione corticis, nam antiqui felicium arborum ramos cortice detracto in effigies deorum formabant, unde Graeci* ξόανον *dicunt.* Cfr. ibd. 4, 56. (BOETTICHER., baumcult. p. 220.)

enumerat et ξόανα ut lignea diserte interdum memorat, e. g. 1, 42, 5. 2, 30, 4. 3, 14, 7. Clarissime autem, quam arte lignei notio cum verbo q. e. ξόανον coniuncta fuerit, e locis eis adparet, quibus materia non nominata ξ. signo marmoreo sive aeneo obponitur: P. 2, 11, 8: ταῦτα μὲν ξόανα, λίθου δὲ Ἀσκληπιός. 2, 37, 2: ταῦτα (ἀγάλματα) μὲν λίθου πεποιημένα, ἑτέρῳ δὲ ναῷ Διόνυσος .. καθήμενον ξόανον. 4, 34, 7: τοῦτο μὲν δὴ ξ., τοῦ Ἀργεώτα δὲ χαλκοῦν ἐστι τὸ ἄγαλμα. 9, 11, 4: ἄγαλμα δὲ τὸ μὲν λίθου λευκοῦ, .. τὸ δὲ ξ. τὸ ἀρχαῖον .. εἶναι Δαιδάλου νενομίκασιν; sic quoque Lucian. Prom. 12. Immo obcurrunt loci, quibus cum ξ. aperte *e ligno fabricatum* significet, simulacri notio plane evanuit, ut 7, 23, 5: ξ. πλὴν προσώπου τε καὶ χειρῶν ἄκρων καὶ ποδῶν, ταῦτα δὲ τοῦ Πεντελησίου λίθου πεποίηται, similiter 6, 25, 4; 7, 26, 4: πρόσωπόν τε καὶ ἄκραι χεῖρες ἐλέφαντος καὶ οἱ πόδες, τὸ δὲ ἄλλο ξόανον. E quibus locis intellegitur, quomodo Sophocl. Thamyr. fr. 227, notionem artificiosi et lignei modo retinens, dicere possit: πηκταὶ δὲ λύραι καὶ μαγάδιδες | τά τ' ἐν Ἕλλησι ξόαν' ἡδυμελῆ. — Paullisper aliud est, quod signa ea, quorum modo maior pars lignea est, acrolitha dico, ipsa ξόανα vocantur: P. 2, 4, 1. 8, 31, 6. Notandum enim, apud Pausaniam huius signorum generis certum terminum omnino non inveniri, sed singularum partium materiam semper explicate nominari.

Si igitur signi ξ. nominati materia a Pausania non diserte indicata est, semper ligneum intellegere necesse est, atque 2, 19, 3 de Danai aetate dicens: ξόανα γὰρ δὴ τότε εἶναι πείθομαι πάντα notare vult: »persuasum mihi est, tum lignum unicam signorum materiam fuisse«, sicut secundum Lucian. Philops. 19 Daedali opera lignea repraesentabantur [1]).

1) Quod revera significat, antiquissima simulacra omnia, quae adhuc extabant, lignea fuisse,

Tamen usus vocis ξ. non intra lignei simulacri significationem plane coercebatur, quod lexicographi confirmant: Hesych. s. v. ξ. ἀγάλματα εἴδωλα ζῴδια, κυρίως δὲ τὰ ἐκ ξύλων ἐξεσμένα ἢ λίθων. Etymol. M. ξ. μὲν γάρ ἐστι τὸ ἐξεσμένον εἴδωλον λίθινον ἢ ἐλεφάντινον ἢ ξύλινον. Ammonius ne lignum quidem nominat, sed lapides modo et ebur adfert. Quod certe non mirum, cum usus verbi quoque q. e. ξέειν latius pateat: Anthol. Plan. IV 60 τίς ἅδε; Βάκχα. τίς δέ μιν ξέσε; Σκόπας. ibid. 160 Πραξιτέλης οὐκ εἶδεν ἃ μὴ θέμις, ἀλλ' ὁ σίδηρος | ἔξεσ', Ἄρης οἷαν ἤθελε τὴν Παφίην, ubi de clarissimis operibus marmoreis, Scopae maenade et Praxitelis Venere, agitur; Luc. quom. hist. 51 οἱ δὲ ἔπλαττον μόνον καὶ ἔπριον τὸν ἐλέφαντα καὶ ἔξεον; schol. Aristoph. nubb. 508 ὁ Τροφώνιος ἐγένετο λιθοξόος ἄριστος. — Certa exempla, quibus ξόανον de signis non ligneis usurpatur, adponere possum haecce: Strabo IX p. 396 C de Agoracriti Nemesi, quam marmoream fuisse notissimum est e fabula relata ap. Paus. 1, 33, 2, quod confirmant Hesych. s. v. Ῥαμνουσία et Plinius, eam in libro 36 (§ 17) memorans. Scopae Apollo Smintheus ξ. vocatur a Strabone XIII p. 604 et Eustath. ad Iliad. A 39. De signis metallicis adhibetur a Luciano Alex. 18: γραφαί τε ἐπὶ τοῦτῳ καὶ εἰκόνες καὶ ξόανα· τὰ μὲν ἐκ χαλκοῦ, τὰ δ' ἐξ ἀργύρου εἰκασμένα et a Ps. Luc. de dea Syr. 39: ξόανα μύρια χαλκέα. Corp. Inscr. Gr. III 4380 m: πανκράτιον δ' ἀνδρῶν κοινὸν Λυκίων μετέπειτα | ἀράμενος πάτρῃ θῆκ' ἐρατὸν ξόανον, cui pancratiastae quae statua collocata est, ligneam fuisse, plane inepta suspicio foret, haud secus enim pro aenea habenda est atque ea, qua idem puer honoratus est (εἰκόνι χαλκελάτῳ) [1]. Ibd.

1) ξόανον statua homini posita dici potuit, quod tali modo honoratus heroibus adscribebatur. Quamquam metrico titulo, praesertim infimae aetatis, licentia quaedam concedenda erit. — De materia statuarum honorariarum sub voce ἀνδριάς disputabimus.

4697 (in lapide Rosettano) l. 41: ἱδρύσασθαι δὲ βασιλεῖ Πτολεμαίῳ ... ξόανόν τε καὶ ναὸν χρυσοῦν. De illustrissimis simulacris ex auro et ebore fabricatis ξ. obvenit ap. Strabonem: VIII p. 354 C de Phidiae Jove Olympio, p. 372 C de Polycleti Junone Argiva. — Quibus exemplis demonstratur, errasse QUATREMERUM DE QUINCY contendentem (Iup. Olymp. p. 324): »ξ. est mot propre pour désigner les figures en bois et celles du genre de la statuaire chryséléphantine«.

ξόανον igitur, ut summatim comprehendam, primum, cum nondum alia extabant, de ligneis simulacris adhibitum, quamquam de hac materia semper praecipue usurpabatur, tamen generalem simulacri notionem paullatim adsumsit.

Ἄγαλμα.

Ἄγαλμα derivatum est e verbo ἀγάλλειν, cuius principalem significationem DAV. RUHNKENIUS (ad Timaei Soph. lexic. s. v.) esse censuit *nitidum reddere, sic aliquid exornare, ut oculos grata sui specie exhilaret*, quam sententiam ita correxit ASTIUS in editione legum Platonis, Lips. 1814 vol. II p. 532, ut ἀγάλλειν proprie *venerari, colere, celebrare* esse diceret, unde significatio illa originem duxisset[1]). Quam rem confirmavit GODOFR. HERMANNUS (ad Aeschyl. Pers. 461 pag. 207. 208), secundum quem verborum familia, qualia sunt ἀγάζω ἄγαμαι ἀγαίομαι ἄζω ἄγη ἄγος ἅγιος ἀγνός ἀγηλατῶ ἀγάλλομαι[2]) *manifestam prodit admirationis vel horroris vel omnino motus cuiusdam et gestus significationem.* — Certe de venerandi significatione vocis q. e. ἀγάλλειν dubi-

1) Adstipulatur Astio WELCKERUS griech. goetterl. II p. 122 adn. 31.

2) GEORG. CURTIUS grundzuege p. 158: »nicht unwahrscheinlich ist es, dass auch ἀγαυός ἀγαυρός ἀγαίομαι und ἄγαμαι nebst ἄγη verwandt sind [mit γαῦρος γαίω γέγηθα cet. γάνυμαι γάνος], von denen aber wieder ἀγάλλω ἀγανός u. a. nicht weit abzuliegen scheinen«.

tari nequit[1]), e qua ornandi notio facile evadere potuit, cum ea, quae nobis cara sunt, quantum possumus, pulchra reddere studeamus necesse sit. In voce ἄγαλμα utraque significatio eo modo coniuncta est, ut quamque rem ornatam indicet, quae magni aestimatur. Quae autem exornata sunt, ipsa exornant eum, a quo possidentur, itaque uno verbo ἄγ. ut *ornamentum* s. *decus* explicandum est. Hoc sensu verbum sexcenties inde ab Homero apud poetas obcurrit, quod paucis exemplis illustrabimus. Hom. Δ 144: ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ .. παρήϊον ἔμμεναι ἵπ-πων .... βασιλῆι δὲ κεῖται ἄγαλμα; σ 300: ἴσθμιον ἤνει-κεν θεράπων, περικαλλὲς ἄγαλμα; Aesch. Prom. 466: ἵππους, ἄγ. τῆς ὑπερπλούτου χλιδῆς; id. Agam. 207 Iphigeniam dicit δόμων ἄγ., 741 Helenam ἀκασκαῖον ἄγ. πλούτου[2]); Eumen. 920 Athenae vocantur ῥυσίβωμον Ἑλλάνων ἄγ. δαι-μόνων i. e. *deorum Graecorum oblectamentum, quippe cum eorum altaria cives conservent*; Soph. Antig. 704: τί γὰρ πατρὸς θάλλοντος εὐκλείας τέκνοις | ἄγ. μεῖζον; Eurip. Herc. fur. 358: γενναίων δ' ἀρεταὶ πόνων τοῖς θανοῦσιν ἄγ.; Troad. 451 Cassandra sacras vittas, quibus ut vates cincta est, ἀγάλματ' εὐια appellat; ibid. v. 1212, ubi Hecuba Astyanacti mortuo: μητὴρ πατρός σοι προστίθησ' ἀγάλματα, ita illustratur versu 1220 (πέπλων ἀγάλματ' ἐξάπτω χροός), ut ἀγάλματα pulchra sint vestimenta ad mortuum ornandum idonea; similiter Herc. fur. 703: νεκρῶν ἀγάλμασιν et Alc. 613; κόσμον φέροντας νερτέρων ἀγάλματα[3]); Orest. 1434 de Helena: σκύλων Φρυγίων ἐπὶ τύμβον ἀγάλ- | ματα συστο-

1) Porphyr. de abstin. IV 22 ab Astio adlatus: γονεῖς τιμᾶν, θεοὺς καρποῖς ἀγάλλειν, ζῷα μὴ σίνεσθαι, quae Eleusinii Triptolemi praecepta esse credebant. Cfr. Bernays., Theophr. schr. üb. frömmigk. p. 31.

2) Optime vertit Humboldtus noster: »des reichtums glanzumstrahlte zierde«.

3) Suid. s. v. ἀγάλματα: Εὐριπίδης τὸν ἐπὶ νεκροῖς κόσμον.

λίσαι χρήζουσα λίνῳ, | φάρεα πορφύρεα, δῶρα Κλυταιμνήστρᾳ i. e. *confectura busto e praeda Phrygia ornamenta linea, stragula purpurea, quae Clytaemnestrae dona sint;* Electra (v. 871) ad fratrem victorem coronandum κόμης ἀγάλματα adferre vult; Helen. 1433 dona nuptialia γάμων ἀγάλματα dicuntur, quippe quae festum diem illustrent. Memorabile est Eurip. Androm. fr. 124: (ὁρῶ) παρθένου τ' εἰκὼ τίνα | ἐξ αὐτομόρφων λαΐνων τειχισμάτων, | σοφῆς ἄγ. χειρός; i. e. *quam video effigiem virginis, sculptam e nativo saxo, quae illustrat sapientem artificis manum?* (Cfr. Porson. ad Eurip. Phoen. 466) [1].

E primaria verbi q. e. ἀγάλλειν *venerandi* significatione originem duxit usus, secundum quem ἄγαλμα eas res notat, quibus oblatis homines deos venerantur, ut ad anathemata designanda adhibeatur. Ad quod illustrandum Boeckhius C. I. Gr. I p. 7 praeter grammaticorum testimonia (e. g. Timaeum Soph. s. v. ἄγ.: πᾶν ἀνάθημα) adfert inscriptiones apud Herodot. 5, 60; 61 et Paus. 10, 7, 6, ubi tripodes dedicati et ap. Paus. 6, 19, 6, ubi Amaltheae cornu, Miltiadis anathema Olympium, ἄγ. dicuntur. Quibus addo Hom. γ 438, ubi in sacrificio Nestoris: Νέστωρ | χρυσὸν ἔδωχ'. ὁ δ' ἔπειτα βοὸς κέρασιν περίχευεν | ἀσκήσας, ἵν' ἄγ. θεὰ κεχαροῖτο ἰδοῦσα et ϑ 509, ubi Troiani dicuntur deliberavisse, equusne ligneus transfigendus an de saxo deiciendus esset ἦ ἐάαν μέγ' ἄγ. θεῶν θελκτήριον εἶναι, qui loci laudati sunt a Jac. Bernaysio »Theophr. schr. üb. d. frömmigk.« (Berol. 1866) p. 179, cum egregie, ut semper, tractavit et ingeniose emendavit versus Empedoclis hosce ap. Porphyr. de abstin. 2, 21: τὴν [Κύπριν] οἵ γ' εὐσεβέεσσι ἀγάλμασιν ἱλάσκοντο | στακτοῖς τε ζωροῖσι μύροισί τε δαιδαλεόσμοις. — Titulus Milesius e medio aut ver-

1) In eundem sensum usurpatur ἀγλάϊσμα, et ipsum ab ἀγάλλειν derivatum, e. g. Aesch. Choeph. 193, ubi Electra cirrum in busto inventum ἀγλάϊσμα τοῦ φιλτάτου βροτῶν Ὀρέστου dicit.

gente sexto saeculo ap. KIRCHHOFF. stud. z. gesch. d. gr. Alph. p. 16: Χάρης εἰμὶ ὁ Κλήσιος, Τειχιούσης ἀρχός. ἄγ. τοῦ Ἀπόλλωνος, ubi Kirchhoff.: »wie Histiaeos hat auch dieser sonst nicht bekannte dynast dem Apollo von Didyma seine huldigung dargebracht und zwar, indem er nach weise orientalischer herrscher sein eigenes standbild in das temenos des gottes stiftete«. Ibid. p. 25, inscriptio eiusdem fere aetatis in tergo lapidei leonis incisa: τὰ ἀγάλματα τάδε ἀνέθεσαν .... (nomina dedicantium) δεκάτην τῷ Ἀπόλωνι. Eurip. Herc. fur. 49 βωμὸν καθίζω τόνδε σωτῆρὸς Διὸς, | ὃν καλλινίκου δορὸς ἄγαλμ' ἱδρύσατο | Μινύας κτλ. id. Hecub. 461 ἔνθα πρωτόγονός τε φοῖνιξ | δάφνα θ' ἱεροὺς ἀνέσχε | πτόρθους Λατοῖ φίλᾳ | ὠδῖνος ἄγ. Δίας. Welcker. Sylloge Epigr. p. 73 no. 51 .... τρὶς δέκατον ἔτος κατέχοντά με, κάλλος ἔχοντα | κλώσασαι Μοῖραι πέμψαν ἄγαλμ' Ἀΐδῃ. Cfr. ibid. pag. 97 no. 66. Paus. 2, 25, 10 in inscriptione anathematis Achaeorum, quod Nestorem et viros de certamine cum Hectore subeundo sortientes repraesentabat; neque aliter ἄγ. accipiendum in titulis *simulacrorum* dedicatorum ut Paus. 5, 23, 7; 24, 3. — Qui usus, quem antiquissimum esse exempla nostra docent, tamen nescio an latius quam in ipsorum anathematum inscriptiones et in poeticum sermonem patuerit; non enim perspici potest, qua re commoti scriptores voce ambigua quam distincta, ἀνάθημα dico, uti maluerint.

Haec, quam modo exposuimus, anathematis significatio praecipue effecit, ut ἄγαλμα usurparetur de simulacris deorum, ad quae indicanda longe usitatissimum vocabulum est. Cum qua tamen fieri non potuit, quin splendidi notionem, quae haud minus antiqua erat, coniunctam Graeci sentirent. Sicut, cum primum deorum effigies aliqua arte e ligno fabricari coeptae sunt, novum signorum genus novo verbo (ξόανον) designabant: ita, cum locum vetustorum ξοάνων artificiosa opera e nobilissima materia, auro eboreque, confecta occu-

pavissent[1]), tanta admiratione splendoris et pulchritudinis, cum quibus simulacra nunc oculis obiciebantur, animi affecti sunt, ut id solum verbum, quod proprie decorum aliquid, idque decoris causa honoratum, significabat, ad ea notanda dignum esse crederent. Quod vocabulum cum aequo modo ad opera marmorea atque aenea designanda idoneum esset, factum est, ut ξόανον praecipue de vetustis ligneis monumentis adhiberetur, quamquam generalis simulacri notio utrique voci ita inerat, ut et ξόανον, quod supra monstravimus, de aliis signis et, quod monstrabimus, ἄγαλμα de ligneis usurparetur.

Significatio simulacri clarissime adparet ex eorum locorum magno numero, quibus signum in templo conlocatum ἄγ. vocatur, ita ut ναὸς καὶ ἄγ. et ἱερὸν καὶ ἄγ. paene formulae instar apud Pausaniam persaepe obcurrant; (e. g. 8, 21, 4; 23, 1; 30, 7; 32, 4; 35, 6; 39, 5; 44, 5; 53, 7; 54, 5. 9, 19, 3; 22, 5; 23, 7; 33, 5; 38, 6. 10, 32, 10; 37, 8; 38, 5) neque minus certe de simulacris in sacro loco constitutis adhibetur 2, 19, 3; 21, 8; 22, 5 et 7; 23, 1; 24, 1 et 3; 27, 2; 34, 11. 3, 12, 4; 19, 7. 4, 35, 8. 6, 26, 3. 7, 4, 4; 5, 5; 21, 1. 8, 13, 2; 30, 1; 31, 4. 9, 16, 1; 17, 1; 20, 4. 10, 35, 10. Si forte quo casu templum sine simulacro est, Pausanias semper ἄγαλμα deesse dicit, qua re demonstratur, id vocabulum proprium et usitatissimum fuisse ad deorum signa indicanda: 2, 11, 1; 12, 2; 13, 4; 15, 2; 36, 2. 3, 22, 10. 5, 5, 6; 20, 9. 7, 22, 11. 8, 41, 10. 9, 19, 1. 10, 33, 12. — Euripid. Hecub. 560 de Polyxena ante immolationem vestimentum discindente: μαστούς τ' ἔδειξε στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος | κάλλιστα *ostendit mammas pulcherrimas tamquam simulacri deae;* cfr. id. Phoen. 220. Saepe diserto additamento ἄγ. ut simulacrum notatur, e. g. Aeschyl. Eumen. 55: πρὸς θεῶν ἀγάλ-

1) Cfr. Brunn. K. G. I p. 193.

ματα. Soph. Oed. R. 1379: οὐδὲ δαιμόνων ἀγάλματ' ἱερά. Platon. Phaedr. p. 251 A: θύοι ἄν ὡς ἀγάλματι καὶ θεῷ τοῖς παιδικοῖς. Ibid. p. 252 D. Xenoph. de vectigall. 1, 4: λίθος ἄφθονος, ἐξ οὗ .. εὐπρεπέστατα δὲ θεοῖς ἀγάλματα. Diod. 5, 55: (Telchini) ἀγάλματά τε θεῶν πρῶτοι κατασκευάσαι λέγονται. Luc. amor. 24.

Postquam de simulacris verbo q. e. ἄγ. usi sunt, facile fieri potuit, ut notionem rei cultui destinatae modo retinentes ad id quoque designandum adhiberent, quod revera non dei effigies, sed eius symbolum est. Sic Paus. 6, 26, 5: τοῦ Ἑρμοῦ δὲ τὸ ἄγ., ὃν οἱ ταύτῃ περισσῶς σέβουσιν, ὀρθόν ἐστιν αἰδοῖον ἐπὶ τοῦ βάθρου. Alio modo vis verbi mutata est, ubi sola imaginis significatione servata in tabulas pictas transfertur: Eurip. Hel. 262: εἶθ' ἐξαλειφθεῖς' ὡς ἄγ. αὖθις πάλιν | αἴσχιον εἶδος ἀντὶ τοῦ καλοῦ 'λάβον. Plato legg. p. 956 B: θειότατα δὲ δῶρα ὄρνιθές τε καὶ ἀγάλματα, ὅσαπερ ἂν ἐν μιᾷ ζωγράφος ἡμέρᾳ εἰς ἀποτελῇ. Bekker anecdot. gr. I, 82: ἄγ. καὶ γραφὴν καὶ ἀνδριάντα ἀδιαφόρως. Ἀντιφάνης Ζωγράφῳ [1]). Quin etiam ulterius poetae progressi sunt, ex imaginis notione id tantum retinentes, ut ἄγ. contrarium sit vero et solido: Eurip. Helen. 1219 subposita Helenae figura νεφέλης ἄγ. *e vapore confectum simulacrum* dicitur, Troad. 193 Hecuba se ipsam νεκύων ἀμένηνον ἄγ. i. e. *debilem tamquam mortuae umbram* appellat. — Hanc tabulae pictae significationem e primaria ornamenti, quae tamen adcedebat, originem duxisse multo minus veri simile est, cum rarissimo, neque omnino in pedestri oratione, ut videtur, obcurrat, ad quod redarguendum Plato inservire non potest, quippe cuius sermo poetico colore indutus sit. Itaque hic usus translatus potius est, atque certe multo fa-

1) Suid. s. v. ἄγ.: ἀγάλματα δὲ καὶ τὰς γραφὰς καὶ τοὺς ἀνδριάντας λέγουσι. Cfr. etiam Etymol. M. s. v.

cilius e significatione, qua de artis monumentis vocabulum iam adhibebatur, nasci poterat. Neque desunt diserta testimonia, quibus ἄγ. a tabula picta distinguitur: Aristot. Polit. p. 1336, b 15: ἐπιμελὲς μὲν οὖν ἔστω τοῖς ἄρχουσι μηδὲν μήτε ἄγ. μήτε γραφὴν εἶναι τοιαύτων πράξεων μίμησιν. Ibid. p. 1340 a 38: δεῖ μὴ τὰ Παύσωνος θεωρεῖν τοὺς νέους, ἀλλὰ τὰ Πολυγνώτου κἂν εἴ τις ἄλλος τῶν γραφέων ἢ τῶν ἀγαλματοποιῶν ἐστιν ἠθικός. Plut. Lycurg. 6: ὅταν εἰς ἀγάλματα καὶ γραφὰς .. ἐκκλησιάζοντες ἀποβλέπωσι. Schol. Luc. Philops. 18: γραφεὺς ὁ Πολύκλειτος ὥσπερ καὶ ὁ Εὐφράνωρ, καὶ πῶς ἀγαλματοποιὸς νῦν εἰσάγεται θαυμάζω. — γραφεὺς ἦν ὁ Πολυκλ. καὶ ὁ Εὐφρ., οὐχὶ ἀγαλματοποιοί.

Postquam varietatem usus e primario sensu ortam exposuimus, accuratius de voce nostra in simulacra notanda adhibita disputemus necesse est. Primo verbum in quamvis materiam aeque patere videmus, unde sequitur, quod iam memoravimus, ἄγ. generalem simulacri notionem in se recepisse, cum primum pro ξόανον, cuius semper limitatior usus erat, locum obtinuit. Saepe obcurrunt ἀγάλματα ξύλου, sive diserte indicantur ligni genera, e quibus ἀγάλματα facta sunt: Paus. 2, 17, 5 (ἐξ ἀρχάδος); 24, 3. 6, 19, 6 (πύξινον). 7, 5, 9; 25, 7. 8, 53, 11 (ἐβένου ξύλου). 10, 37, 3; sexcenties ἄγ. et ξόανον de eodem signo usurpata inveniuntur, ut hoc modo ἄγ. ligneum esse notetur, e. g. 2, 23, 1; 25, 1. 3, 16, 11. 9, 3, 2. 10, 26, 3. De operibus aereis: 1, 1, 3; 24, 8; 26, 4; 27, 4. 3, 26, 1. 4, 34, 6; 36, 6. 5, 21, 2. 8, 14, 5; 26, 7; 37, 1; ἀγάλματα ὀπτῆς γῆς 1, 3, 1; ἐκ πηλοῦ 1, 2, 5; ἀργύρου 1, 5, 1; marmorea et ebore auroque fabricata adferre supersedeo. — Forma operis idem valet: P. 8, 32, 2; 35, 6 extat ἄγ. de hermis; 3, 19, 3. 8, 48, 4 de anaglyptis; item de anaglypto in ratione de Erechtheo aedificato (Stephani Ann. d. Inst. 1843 tab. L, nunc Schoene griech. reliefs p. 4), ubi singularum zophori

figurarum pretio enumerato tota summa indicata est verbis: κεφάλαιον ἀγαλματοποιϊκοῦ. Neque ἄγ. per se constare opus est, usurpatur enim de eis quoque figuris, quae totius signi partes modo sunt: Paus. 1, 33, 3 ἄγ. Νεμέσεως in capite coronam gerit, quae Νίκης ἀγάλματα sustinet et 5, 11, 2 de Iovis Olympii throno dicitur ἀγάλματά ἐστιν εἰργασμένα. Cfr. 2, 3, 1. 3, 19, 3 alia.

Ἄγαλμα non solum de simulacris deorum, qui proprie dicuntur, sed de cuiusvis numinis signis adhibetur. Sic Paus. 2, 13, 6 de caprae, stellae scilicet, 3, 20, 9 de planetarum signis, ad quod illustrandum optime inservit Ovid. Fast. 3, 111: *libera currebant et inobservata per annum | sidera: constabat sed tamen esse deos.* Callistrat. Stat. 6 Lysippi Καιρόν ἄγ. appellat, constat enim, tales personas a poetis vel artificibus e meris notionibus fictas inde ab antiquissima aetate ut divinas repraesentatas esse; e. g. Δειμὸς Φόβος Ἔρις [1]) Λιταὶ [2]) Homeri, Κράτος et Βία Aeschyli, deinde Ἄτη Πειθὼ Ἥβη Νίκη, quae ex attributo deorum ipsa dea facta est [3]), Ἔλεος, qui μάλιστα θεῶν ὅτι ὠφέλιμος sicut Αἰδὼς Φήμη Ὁρμὴ ara in foro Atheniensi honoratus erat [4]). Quod confirmat Paus. 1, 8, 2, ubi Εἰρήνη et Πλοῦτος dicuntur ἀγάλματα θεῶν [5]); quod ad Καιρόν attinet, exiat disertum testimonium Himerii eclog. XIV, 1: (Lysippus) ἐγγράφει τοῖς θεοῖς τὸν Καιρὸν καὶ μορφώσας ἀγάλματι τὴν φύσιν αὐτοῦ

1) Δ 440. — Φόβον deum fuisse monstrat quoque Aesch. Sept. 45: Ἄρη τ' Ἐνυὼ καὶ φιλαίματον Φόβον | ὡρκωμότησαν; in inscriptione nuper Selinunte reperta, quae nunc extat apud Benndorf., die metopen von Selinunt p. 27, διὰ τὸν Φόβον obvenit praeeuntibus verbis: διὰ τοὺς θεοὺς τούσδε iuxta Iovem Herculem Apollinem Neptunum Dioscuros Minervam alios. Cfr. Benndorf. l. l. p. 30. 2) I 502.

3) Cfr. Kekulé Nike-balustr. p. 4 seqq. 4) Paus. 1, 17, 1.

5) Pax inde ab ol. 101 Athenis publico cultu fruebatur. Isocr. π. ἀντιδόσ. 109. Corn. Nep. Timoth. 2. — Brunn. über d. sogen. Leukothea. Monac. 1867, p. 17. Cfr. Paus. 1, 18, 3.

διὰ τῆς εἰκόνος ἐξηγήσατο. Huc pertinet quoque Paus. 3, 20, 10, ubi Icarius, cum Penelope Ulixem secuta sit, ἄγ. τῆς Αἰδοῦς conlocasse dicitur, ut ἄγ. Ἀφεταίου (Paus. 3, 13, 6) conlocatum erat, ubi Penelopae proci initium cursus fecerunt (cfr. 3, 12, 1). — Terrae quoque in personas redactae ut numina ἀγάλματα habent, e. g. P. 10, 18, 7: γυναικὸς ἄγ. ὡπλισμένης, ἡ Αἰτωλία δεῦθεν; urbes sub notionem Τύχης cadere notum est.

Neque minus ἄγ. usurpatur de heroibus, quem usum Schubartus (l. l. p. 562 seq.) non concedere vult nisi de heroibus inter deos relatis, sive ut ipsius utar verbis »vergötterten heroen«. Videamus, quos heroas a Schubarto deis adscribere iubeamur, Pausaniam solum spectantes: 1, 35, 3 Aiacem; 2, 10, 4 Antiopam; 3, 19, 6 Alexandram, quam Amyclaei Cassandram esse credebant; 4, 31, 11 Messenam, Polycaonis Messenae conditoris, uxorem (cf. P. 4, 1 init.); 6, 11, 9 Theagenem, Herculis filium; 9, 38, 5 Actaeonem; 10, 9, 6 Callystonem, quae cum aliis ab ipso Pausania ἐπιχώριος τῶν ἡρώων dicitur; 10, 11, 1 Triopam, Cnidi conditorem. Ad totam sententiam refutandam tamen satis est adferre P. 2, 11, 7: τῷ δὲ Ἀλεξάνορι καὶ Εὐαμερίωνι καὶ γὰρ τούτοις ἀγάλματά ἐστι, τῷ μὲν ὡς ἥρωϊ ... ἐναγίζουσιν, Εὐαμερίωνι δὲ ὡς θεῷ θύουσιν. Graecorum certe theologia non tam subtilis erat, ut diversas numinum classes certis cancellis circumscriberent: Amphiaraus θεὸς dicitur a Pausania 1, 8, 2; 34, 2, Lycurgus 3, 16, 8, Agamemno non semel cognomine ipsius Iovis honoratus obcurrit (Ζεὺς Ἀγαμέμνων) [1], nedum ipsos heroas superiore et inferiore

1) Preller griech. mythol. II[2] p. 457. — Certe expectes Agamemnonem tali cognomine insignem a Schubarto in primam heroum classem admissum esse, ut ei ἄγ. concederet. Qua re tamen falleris, nam l. l. p. 563 locos Pausaniae coniecturis mutandos esse censet, ubi Agamemnoni ἀγάλματα tribuuntur. Certum quidem duco 3, 19, 6 nominativum,

gradu distinguerent. Ubi heros aliquis dei nomine insignitur, non alius generis atque ceteri fuisse, sed eius cultus modo prae ceterorum ita floruisse indicatur, ut deorum aequaret. Quae igitur designatio aliis locis heroibus aliis, ut magis minusve in honore erant, tribui aut denegari poterat, omnibus vero ἀγάλματα fuisse locus Pausaniae 2, 11, 7 modo exscriptus clarissime docet. Ac sane mira esset ratiocinatio, quae ἀγάλματα fictae personae ut Ἀφεταίῳ concederet, contra heroibus negaret.

De hominum quoque imaginibus ἄγ. infima aetate usurpatum esse, infra luculentius ostendemus, ubi de voce q. e. ἀνδριάς agemus. Ne tamen Pausaniam non sibi constare putes, paucos locos accuratius respicere opus est. 1, 37, 3 scribitur: πρὶν δὲ ἢ διαβῆναι τὸν Κηφισόν, Θεοδώρου μνῆμα ἔστι τραγῳδίαν ὑποκριναμένου τῶν καθ' αὑτὸν ἄριστα. ἀγάλματα δὲ ἐπὶ τῷ ποταμῷ, Μνησιμάχης, τὸ δὲ ἕτερον ἀνάθημα κειρομένου οἱ τὴν κόμην τοῦ παιδὸς ἐπὶ τῷ Κηφισῷ. Quibus verbis quomodo Mnesimachae sepulcrum — ita enim interpretati sunt — indicatum esse possit, equidem non video. Verba q. s. τὸ δὲ ἕτερον clarissime monstrant, τὸ μὲν ante Μνησιμάχης excidisse [1]), quibus insertis iam omnia plana fiunt. Dicit enim Pausanias: duo sunt in fluminis ripa simulacra, alterum a Mnesimacha quadam, alterum ab eius filio dedicatum, qui (in anathemate) ad flumen adstans comam sibi tondit. Quid Mnesimachae anathemate repraesentatum fuerit, Paus. non narrat, verisimile quidem est, fluvii ipsius effigiem ab ea dedicatam esse, ut ei gratias ageret, quod filium tuitus esset. In fluviorum enim tutela iuvenes fuisse, notissimum est iam ex Homero [2]), itaque πλόκα-

5, 25, 9 dativum librariis deberi, sed causa Schubarti, quae nulla est, non indigemus, cum priore loco ἄγαλμα sensum turbet, altero, ut recte observatum, ἀγάλματι dittographia ortum esse verisimillimum sit.

1) Vidit hoc iam Schubart. Philolog. vol. XXIV p. 562. 2) Ψ 141 seqq.

μον θρεπτήριον[1]) fluvio obferentem adolescentem in altero anathemate Paus. videbat, quo cum iuxta puerum verba tradita: ἐπὶ τῷ Κηφισῷ clarissime indicent ipsum Cephisum deum repraesentatum esse (— anaglyptum autem fuisse certissime conicere licet —), non opus est cum Bekkero alterum ἐπὶ in ἐστι mutare. — De 5, 11, 3, ubi in throno Iovis Olympii ἀγάλματα, quibus vetera certamina repraesentarentur, fuisse dicuntur, multa verba facere non opus est. Non enim homines pugnantes intellegendi sunt, sed heroes exemplum praebentes certaminibus humanis, quae Olympiae celebrari solebant, multae enim fabulae apud Eleos pervulgatae erant, de deis heroibusque, qui hic pugnaverant. Cfr. Paus. 5, 7, 6 / 8, 5. — 10, 18, 6 Pausanias, postquam ferreum Tisagorae opus, Herculem cum Hydra pugnantem, memoravit, pergens: σιδήρου δὲ ἐργασίαν τὴν ἐπὶ ἀγάλμασι χαλεπωτάτην καὶ πόνου συμβέβηκεν εἶναι πλείστου praeter memoratum opus leonis et apri capita Pergami extantia summopere se admirari dicit, quod tamen haec monumenta sub ἀγαλμάτων notionem cadere minime indicat; cum enim ad laboris difficultatem nihil referat, utrum dei an homines an bestiae repraesentati sint, P. verbo q. e. ἀγάλμασι generaliter artis opera designat, ad quae proprie indicanda, uti supra iam diximus, nullum vocabulum suppeditabat[2]).

1) Sic Aeschyl. Choeph. 6.

2) Exscribere satis erit verba Schubarti l. l. p. 563: »es finden sich mehrere stellen, wo eine wirkliche abweichung nicht verkannt werden darf; es sind dieses solche, wo ἄγ. ganz im allgemeinen für figur, bild (d. h. bild des dargestellten selbst, nicht seine statue) gesetzt ist, ohne rücksicht darauf, ob es ein götterbild, ja überhaupt nur ein menschliches bild ist oder nicht«. Ad quae intellegenda quod loci a Schubarto adlati mihi quidem nihil profuere, eos ut lectores in divinando feliciores ipsi conferant, quaeso. Sunt enim haecce: 2, 10, 3. 9, 3, 1/2. 10, 18, 6. 1, 27, 4. 2, 17, 5. 3, 16, 11. 5, 11, 3. 10, 9, 6. 9, 11, 3. Pergit Sch.:

Ἕδος.

Ad illustrandum verbum q. e. ἕδος uberrimam materiam congesserunt Dav. Ruhnkenius ad Timaeum Soph. s. v. et Welckerus, sylloge epigrammat. (Bonnae 1828) p. 3 seqq. Si eam huius vocabuli significationem spectas, qua ad artis monumenta notanda inservit, non dubitari potest, quin deorum simulacra eaque sola denominet. Ut tamen diiudicemus, cum qua notionis diversitate iuxta tria illa, quae iam tractavimus, hoc verbum Graeci adhibuerint, generalem vocis sensum cognoscamus necesse est.

Proficiscimur a verbo derivato de stirpe ἙΔ, cuius quae formae activi obveniunt, *conlocare* valent, sic Herod. 3, 61: τοῦτον τὸν ἄνδρα ἀναγνώσας ὁ μάγος Πατιζείθης .. εἷσε ἄγων ἐς τὸν βασιλήϊον θρόνον; Soph. Oed. Col. 712: σὺ γάρ νιν ἐς | τόδ' εἷσας αὔχημ', ἄναξ Ποσειδὰν, quod pluribus exemplis, quae iam Homerus praebet, illustrare non opus. Formam mediam ἕζεσθαι *sedere* significare notissimum est, qua re efficitur, ut ἕδος ab antiquissimo teste Homero et in sensum *sellae* (A 534. 581. I 194) et *sedendi et otiandi* (Λ 648. Ψ 205) usurpetur. E primaria activi significatione is usus mihi quidem ortus esse videtur, secundum quem ἕδος *sedem*[1]) indicat, ut propria notio sit: *quod conlocatum est, ita quidem, ut a loco suo moveri nequeat.* Huc ducunt exempla, quae urbis nomen casu genetivo adiectum praebent, ut Homer. Δ 406: Θήβης ἕδος, ν 344: Ἰθάκης ἕδος. Eurip. Iph. Aul. 1527: δολόεντα Τροίας ἕδη. Cum qua notione, quod sane facile fieri potuit, medii significatio ita coniuncta est, ut ἕδ. *domicilium* valeat, e. g. Aesch. Pers. 890:

»überhaupt liegt die vermutung nahe, dass Pausan. das wort in dieser bedeutung mit vorliebe bei reliefs verwendet cet.«: 2, 3, 1. 3, 19, 3. 8, 47, 3; 48, 4. 1, 33, 3.

1) Lingua vernacula dixeris: »stätte.«

(de Icaria insula) Ἰκάρου θ' ἕδος; Prom. 411: ὁπόσοι τ' ἔποικον ἀγνὰς | Ἀσίας ἕδ. νέμονται; Hecataeus (fr. 139 Müll.) Τένεδος explicat Τέννου ἕδ. Cfr. Hom. ζ 42. — Aesch. Sept. 165, quamquam chorus Minervam Oncam orans: ἑπτάπυλον πόλεως ἕδ. ἐπιρρύου in sensu habuisse potest: *serva sedem, quam habitamus* et v. 241: τάνδ' ἐς ἀκρόπολιν, τίμιον ἕδος, ἱκόμαν *ad venerabile deorum domicilium*, tamen simplicius videtur, ἕδ. in meri loci notionem accipere. — Ad significationem activi redit tempus aoristi medii, quippe quod *templum condere vel dedicare* valeat: Herod. 1, 66: τῷ δὲ Λυκούργῳ τελευτήσαντι ἱρὸν εἰσάμενοι σέβονται μεγάλως. Pind. Pyth. 4, 204 Momms.: ἔνθ' ἁγνὸν Ποσειδάωνος ἕσσαντ' εἰναλίου τέμενος. Thuc. 3, 58: ἱερά τε θεῶν, οἷς εὐξάμενοι Μήδων ἐκράτησαν, ἐρημοῦτε καὶ θυσίας τὰς πατρίους τῶν εἰσαμένων[1]) καὶ κτισάντων ἀφαιρήσεσθε (cfr. adnot. Kruegeri). C. I. Gr. III 4284: τόνδ' ὁ παλαιστροφύλαξ Ἀμμώνιος εἵσατο βωμόν. Ex hoc usu certissimum equidem duco, sensum *templi* ortum esse, ut ἕδ. proprie sit *aedes, quae deo instituta est*, quod optime confirmat Ps. Luc. dea Syr. 14, ubi ἕδος, manifesto in sensum templi usurpatum, (sequitur ut synonymum νηὸς) cum εἵσασθαι coniungitur: ἄλλοι δὲ Σεμίραμιν .. καὶ τόδε τὸ ἕδος εἵσασθαι νομίζουσι, οὐκ Ἥρῃ δὲ εἵσασθαι, ἀλλὰ μητρὶ ἐωυτῆς κτλ. Sic plerique recte accipiunt Aesch. Pers. 404: ὦ παῖδες Ἑλλήνων ἴτε, ἐλευθεροῦτε .. παῖδας, γυναῖκας, θεῶν δὲ πατρῴων ἕδη. Unde iam nobis via patet ad verbi vim intellegendam, qua ad simulacra notanda adhibetur: est enim ἕδος *simulacrum, quod, ut cultui inserviat, secundum ritum religiosum conlocatum est*[2]). Ac certe,

1) Codd.: εἰσαμένων ἐσσαμένων ἐσαμένων.

2) Odofr. Müller. Archaeologie 68 adn. 1: »ἕδος, ein Tempelbild, ein ἱδρυμένον«. — Quod addit: »im engeren Sinne ein sitzendes« paullo infra refellemus.

ubi ξδ. templa et simulacra indicat, eum, quem supra exposuimus, sensum non mutari, sed acui tantum adparet; quid enim tutius conlocatum est, quam aedes et signa deorum, quae laedere aut ut ἀκίνητα loco movere, nefastum erat? Ἕδ. igitur fere in locum obsoleti v. βρέτας successit, ut, quod iure expectaveris non defuisse, verbum proprium sit ad simulacra, quoad cultui inserviunt, designanda, cum notatio q. e. ξόανον e fabricatione pendeat neque in ἄγαλμα quidem puram rei cultae, sed potius splendidi anathematis notionem inesse viderimus.

In sententiam plane diversam incidit Welckerus, qui l. l. p. 4 ἕδος *sacerdotale* esse credit, *mysticam deorum in signis suis aeque ac in templis praesentiam et quasi habitationem indicans.* Quod fere iterat Overbeckius l. l. p. 250, cuius verba valde certa haecce sunt: »ξδ. charakterisirt das cultobject . . als sitz der gottheit, und dieser ausdruck, man wende und verstehe ihn wie man will, ist denn freilich im eigentlichsten und eminenten sinne mystisch und hieratisch, denn er macht das cultobject zum behältniss . . des göttlichen numen, der geistig gedachten gottheit selbst«. — Ut hanc, quam mysticam vocant, considerationem apud Graecos pervulgatam fuisse certis testimoniis probari possit: quis, quaeso, si simplex via ad aliquod verbum explicandum patet — eamque monstrasse mihi quidem videor — contortam ingredi malit? E mystica enim contemplatione non credo verba, quae universe usurpentur, oriri posse, sed unamquamque linguam a simplicissimis notionibus profectam paullatim demum verborum sensum ita variare certum est, ut ad subtiliora quoque designanda apta fiant. Atque sane vituperandum, quod Welckerus primarium sensum verbi e stirpe ἙΔ derivati plane neglegens medium solum respexit neque tamen aoristi medii vim consideravit. Mystica tamen ignoscendum aliquem adamasse, antequam istum in scientia grassan-

tem morbum LOBECKIUS praeclare sanavit [1]), hodie ab Overbeckio eam sententiam iteratam esse certe mireris. At quomodo iudices, si testimonia, quae desideramus, plane deesse atque qui mystica captant, quod ipsi somnient, veteribus imputare videris? Atqui dicas: en ingens locorum acervus, ab Overbeckio p. 251 seqq. conlectus, haud dubie ad omnem dubitationem tollendam idoneus. Est quidem acervus, sed cuius ne unus quidem locus monstrat, quod monstrare iubetur, exceptis modo scriptorum ecclesiasticorum testimoniis, quae tamen in aetatem, qua Graeci florebant, nihil valere O. ipse concedit (p. 252). Docent enim quae adfert, simulacris facultates quasdam tributas esse, quae revera deorum ipsorum sunt, quod cum in religionis cuiusque natura, quae deos imaginibus repraesentat, situm sit, sine testimoniis crederemus, quibus tamen extantibus gaudemus. Nam quod simulacra hastam vibrant, sudant, lacrimant, — quis, nisi mystico sensu praeditus est, unquam tale quid domicilia (»behältnisse«) facientia vidit, ut his fabulis probet, in simulacris deos ipsos sedisse, qui cum ῥεῖα ζώοντες pulcherrimas aedes in Olympo summa arte exstructas habitare mallent, foedam signorum interiorem partem muribus libenter concedebant (Luc. Iup. trag. 8). Sunt autem loci, qui nisi pessima interpretatione huc trahi non potuerint: is potissimum, cuius auxilio »diesen glauben an die mystische einkehr des gottes in sein bild« (p. 259) usque ad — Homerum persequi posse dicimur, est enim Z 92: πέπλον .. θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο | καί οἱ ὑποσχέσθαι δυοκαίδεκα βοῦς ἐνὶ νηῷ .. ἱερευσέμεν [2]).

1) Sustinet quidem sententiam eam griech. Götterl. II p. 122.

2) Pag. 242: »ἐπὶ γούνασι θεῖναι (bezieht sich) offenbar auf die sitzende statue der Polias Athene, während .. ἐΰκομος schon eher die göttin selbst .. angeht und das βοῦς ἱερευσέμεν ohne zweifel nur sie selbst angehen kann ... dies legt zeugniss ab für eine mystische ein-

Sed satis superque de hac demonstrandi ratione, videat, si tanti est, ipse lector neque multis verbis probare opus esse cognoscet, etiam alios locos, quorum Aristot. metaph. p. 1017, b 7, cum huc trahatur, perperam intellectus est[1]), nihil ad rem facere.

Vir summus Aug. Boeckhius alium in modum de hac voce erravit: is quoque sedendi notionem inesse censens, quamquam a sensu mystico, ut par est, abstinuit. Ait enim ad C. I. Gr. I 155: ἕδος *nota non unumquodque signum dici, est id tantum de simulacro in sella sedentis dei vel deae; igitur v. 44. 45 utrique* ἕδει, τῷ ἀρχαίῳ *et* τῶ λιθίνῳ *obponitur* τὸ ἄγαλμα τὸ ὀρθόν. Ad quod confirmandum cum specie quadam veritatis adferre possis Philostrat. vita Apollon. 4, 38: τὸ ἕδος τὸ ἐν Ὀλυμπίᾳ et de eodem Iove Olympio Cassius Dio LIX 28, 3, ac certe verum videtur, si eam solam inscriptionem spectas. Tamen dubitari non potest, quin ἕδος promiscue de simulacris sedentium et stantium dicatur, uti iam Welckerus observavit. Nam ut ἕδη sedentes deos repraesentare cognoscatur, disertis verbis id indicare opus est, e. g. Ps. Luc. Dea Syr. 31: ἐν δὲ τῷδε (ἱρῷ) εἶαται τὰ ἕδεα .. καὶ ἄμφω ἕζονται; pluries autem de stante signo vocem adhibitam invenimus. Apud Xenoph. hist. gr. 1, 4, 12 (ἡμέρᾳ ᾗ Πλυντήρια ἦγε ἡ πόλις τοῦ ἕδους κατακεκαλυμ-

heit von bild und gottheit«. — Itaque si vernacula lingua de Magno electore disserens ita fere incipis: »auf der langen brücke zu Berlin steht von Schlüter's hand in der ganzen majestät seiner erscheinung der grosse kurfürst. Ihm ist jeder Deutsche zum grössten danke verpflichtet cet.« caveas ne mysticae unitatis suspicioni addictus increperis.

1) Καὶ γὰρ Ἑρμῆν ἐν τῷ λίθῳ φαμὲν εἶναι καὶ τὸ ἥμισυ τῆς γραμμῆς καὶ σῖτον τὸν μήπω ἀδρόν i. e. Mercurius, qui nondum simulacrum, δυνάμει tamen iam lapide continetur, ut tota linea dimidia parte cet. — Aristoteles, qui hoc exemplo simulacri nondum confecti pluries utitur (cfr. Bonitz. ad l. l.), sane mysticum opprobrium minime conmeruit.

μένου τῆς Ἀθηνᾶς) habes ἕδ. de simulacro Minervae Poliadis, quae certe stans repraesentata erat[1]), Isocrat. περ. ἀντιδόσ. 2 et Plut. Pericl. 13 de Phidiae clarissimo Minervae virginis signo, Plut. Aristid. 20 de Minervae Areiae signo Plataeensi, quod Phidiae opus acrolithum erat teste Paus. 9, 4, 1. In inscriptione laudata ἕδος forte quidem sedentia simulacra notat, a quibus aliud stans signum in eodem templo conlocatum ut accurate discerni posset, ὀρθόν in inventariis appellabatur, sicut sedentium alterum cognomine ἀρχαῖον, alterum λίθινον notabatur.

Apud Pausaniam bis modo ἕδος obcurrit: 8, 46, 2 φαίνεται δ' οὐκ ἄρξας ὁ Αὔγουστος ἀναθήματα καὶ ἕδη θεῶν ἀπάγεσθαι παρὰ τῶν κρατηθέντων, ubi cum simulacrorum notio clarissime adpareat, alter quoque locus in eundem sensum accipiendus, qui num templum indicet, dubitatum est; Pausaniam enim in his verbis utendis summopere sibi constare videmus. Est autem 2, 20, 8: ὑπὲρ δὲ τὸ θέατρον Ἀφροδίτης ἐστὶν ἱερὸν, ἔμπροσθεν δὲ τοῦ ἕδους Τελέσιλλα ἐπείργασται στήλη. Si ante templum Telesillae imago conlocata esset, Paus. ἔμπροσθεν δὲ αὐτοῦ scripsisset, ac certe poëtria, quae ob patriam e summo periculo servatam Argis plurimi aestimabatur, imagine prope ad simulacrum in templo conlocata honorari potuit.

Ad Soph. Electr. 1374: πατρῷα προσκύσανθ' ἕδη | θεῶν, ὅσοιπερ πρόπυλα ναίουσιν τάδε GODOFR. HERMANNI adnotatio est: ἕδη *enim simulacra interpretantur. rectius aras intellexeris,* cuius significationis equidem nullum novi exemplum.

Ἀνδριάς.

De deis iam descendamus ad homines, quorum imagines, ut etymon indicat, verbo q. e. ἀνδριάς proprie notantur.

1) V. ODOFR. MÜLLER. Archaeologie, 368 adn. 4.

Ἀνδριάντες saepe obponuntur deorum simulacris: Paus. 1, 8, 4: περὶ δὲ τὸν ναὸν ἑστᾶσιν Ἡρακλῆς καὶ Θησεὺς καὶ Ἀπόλλων . . ἀνδριάντες δὲ Καλάδης . . καὶ Πίνδαρος. Id. 1, 18, 3: θεῶν Εἰρήνης ἄγαλμα κεῖται καὶ Ἑστίας, ἀνδριάντες δὲ ἄλλοι τε καὶ Αὐτόλυκος ὁ παγκρατιαστής. Diod. Sicul. exc. XXXI fr. 46 B: ἐσύλησε δὲ καὶ τοὺς ἀνδριάντας καὶ τὰ τῶν θεῶν ξόανα. Stirps tamen ΑΝΔΡ in voce q. e. ἀνδριάς eam servat ampliorem significationem, qua Iuppiter Homeri πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε dici poterat, usurpatur enim in mulierum quoque effigies notandas. Paus. 2, 17, 3: ἀνδριάντες τε ἑστήκασιν καὶ γυναικῶν. 10, 19, 2: ἐν δὲ τοῖς ἀνδριᾶσι . . ἐν τούτοις . . καὶ Ὕδνης . . ἡ εἰκών. Athen. X p. 425 F: Πολύβιος . . ἀνδριάντας αὐτῆς ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἑστάναι φησί. Id. XIII p. 591 B: Φρύνης . . ἀνδριάντα . . χρυσοῦν. — Heroes, quos supra ἀγάλμασι honoratos esse ostendimus, saepe ἀνδριᾶσι contenti esse iubentur, quod cum aeque humanae atque divinae naturae participes sint, non mirum: Paus. 1, 5, 1 et 2, 17, 3 ἀνδριάντες ἡρώων; promiscue utramque vocem adhibitam esse, monstrat Paus. 5, 25, 7: Ἡρακλέους δύο εἰσὶν ἀνδριάντες . . τὸν δὲ . . ἀνέθηκεν Ἱπποτίων . . τὸ δὲ ἄγαλμα τὸ ἕτερον κτλ. Deinde ἀνδρ. usurpatur de signis personarum quoque e notionibus fictarum, ut Paus. 3, 11, 10 Δήμου τοῦ Σπαρτιατῶν ἀνδρ., quod tamen, cum tali modo multi homines unius modo hominis figura repraesententur, diversum est ab ea ratione, qua merae notiones humana specie indutae ἀγάλμασι honorari supra vidimus. — Scriptores posteriores, qui non tam accurate quam Pausanias horum verborum fines servant, abutuntur verbo q. e. ἀνδριάς ad deorum signa notanda: Strabo VIII p. 378 C: τὸ Ὀλυμπίασιν ἀνάθημα Κυψέλου, σφυρήλατος χρυσοῦς ἀνδριὰς εὐμεγέθης de Iovis signo (cfr. p. 353 C), quod idem ἀνδρ. dicitur ap. Schol. Platon. Phaedr. p. 318 (ubi quoque ἄγαλμα) et Diog. Laert. 1, 96. Cfr. Aelian. var.

hist. XIV, 16; Polyb. IV, 78 [1]). Huc trahi non potest Paus. 6, 25, 5, ubi praecedentibus verbis: ἀνδριάς σφισιν ἀνδρὸς οὐ μείζων μεγάλου χαλκοῦς ἐστιν sequuntur: τοῦτο τὸ ἄγαλμα ἐλέγετο εἶναι Ποσειδῶνος. Pausanias enim hic quae videt accuratius describere vult, antequam cui signum tribuatur exponat, et cum oculis in dei quoque simulacro nil nisi viri corpus obiciatur, ἀνδριάς adhibere potuit, quin verbo q. e. ἀνδρός adiecto ἄγαλμα ne potuit quidem dicere [2]).

Si materiam spectas, ἀνδρ. de signis marmoreis obcurrit C. I. Gr. I, 10 τοῦ ἀϝτοῦ (?) [3]) λίθου εἰμ' ἀνδριάς τε καὶ τὸ σφέλας; Paus. 8, 40, 1; 10, 36, 4; Plut. Lysand. 1; Luc. Tim. 43 cet.; de signis aureis vel argenteis Aristot. fragm. 374: χρυσοῦν ἀνδριάντα, idem Athen. XIII p. 591 B; C. I. Gr. III, 5838 ἀργυρῶν ἀνδριάντων; sed longe saepissime aes materia τῶν ἀνδριάντων est. Paus. 1, 8, 5 usurpatur de Antenoris tyrannicidis, quos aeneos fuisse Arrian. anab. 3, 16, 7 et Valer. Max. 2, 10 testantur; ibidem de clarissimo Critii et Nesiotae opere, aeneo secundum Luc. Paras. 48; Paus. 1, 8, 4 de Pindari statua Atheniensi, ex eadem materia fabricata teste Aeschine epist. IV p. 669 Reiske. Saepissime signa ἀνδριάντες nominata diserte aerea esse indicantur: Paus. 1, 16 init.; 1, 23, 3. 10, 36, 8 cet. cet. Luc.

---

1) Idem tamen XXII, 13 ἀνδριάντας et ἀγάλματα distinguit: τὰ δὲ ἀγάλματα καὶ τοὺς ἀνδριάντας καὶ τὰς γραφὰς ἀπήγαγεν. — Id. V, 9 ἀνδριάντας universe signa, et hominum et deorum, notare potest, ad quae indicanda nullum verbum Graecis praesto erat.

2) Plato republ. p. 420 C (ἀνδριάντας γράφειν) Boeckh. C. I. II p. 665 ἀνδριάντας ut humanas figuras dissentiens ab Hermanno explicat, qui *statuas pigmento inducere* intellegit. Ac certe a Platone, quippe qui poeta inter philosophos sit, ἀνδρ. de statuis, quae humanas figuras repraesentant, ad has ipsas designandas translatum esse potest, quod quidem non probat, ἀνδρ. quoque de tabulis pictis usurpatum esse.

3) Cfr. Kirchhoff. studien z. gesch. d. gr. alph. p. 61 seqq.

amor. 30; Demon. 53. Theopomp. ap. Athen VI p. 231, qui loci facile multiplicari possunt. Notissimum enim est, statuas honorarias fere omnes aeneas fuisse[1]), ita ut χαλκοῦν τινα στῆσαι vel ἀναθεῖναι paene formulae in modum adhibeatur. Fieri igitur potuit, ut alia non respiceretur materia, ubi universe de hominum imaginibus, quin omnino de signis agitur, nam cum amplioris notionis vox non suppeditaret, scriptores aut ἀνδρ. aut ἄγαλμα adhibere cogebantur, illud quidem praeferentes. Exempla praebet Aristoteles: metaph. p. 1013, b 7: συμβαίνει .. καὶ πολλὰ τοῦ αὐτοῦ αἴτια εἶναι, οὐ κατὰ συμβεβηκὸς, οἷον τοῦ ἀνδριάντος καὶ ἡ ἀνδριαντοποιϊκὴ καὶ ὁ χαλκὸς οὐ καθ' ἕτερόν τι ἀλλ' ᾗ ἀνδριάς. De generat. anim. p. 724 a 23: ἐπεὶ δὲ πολλαχῶς γίγνεται ἄλλο ἐξ ἄλλου .. ὡς ἐκ χαλκοῦ ἀνδριάς. Cfr. mir. auscult. p. 802 a 32. Politic. p. 1256, a 15: λέγω δὲ ὕλην τὸ ὑποκείμενον, ἐξ οὗ τι ἀποτελεῖται ἔργον· οἷον ὑφάντῃ μὲν ἔρια, ἀνδριαντοποιῷ δὲ χαλκόν (cfr. ibd. a 7). Hoc exemplo vides, verbum q. e. ἀνδριαντοποιός, quod proprie statuarium homines fingentem designat[2]), idem fere valere quod aerarium, quae res optime illustratur Eth. Nicomach. p. 1041 a 11: τὴν δὲ σοφίαν ἔν τε ταῖς τέχναις ἀποδίδομεν, οἷον Φειδίαν λιθουργὸν σοφὸν καὶ Πολύκλειτον ἀνδριαντοποιόν[3]), ubi primaria verbi significatio prae materiae designatione plane recedit.

---

1) Satis habeo unum idque clarissimum testimonium adponere: Anthol. Pal. II p. 727 ἔπρεπέ μιν χρυσῷ ἐν ἀγάλματι μηδ' ἐνὶ χαλκῷ | τοῦτόν τοῖς ἄλλοις εἴκελον ἑσταμέναι.

2) Cfr. Bekker. anecdot. gr. I p. 355 ἀγαλματοποιὸν δέ φασι καλεῖσθαι τὸν εἰκόνας θεῶν μᾶλλον ἐργαζόμενον, ἀνδριαντοποιὸν δὲ τῶν ἀνθρώπων ... σὺ δὲ πάντας δημιουργοὺς ὁμοίως καλῶν οὐκ ἂν σφαλείης.

3) Polycletus aequo iure adferri poterat tamquam exemplum ἀνδριαντοποιοῦ, qui proprie dicitur, atque aerarii. Prius monstrat Quintil. instit. orat. XII, 10, 7: *nam ut humanae formae decorem addiderit supra verum, ita non explevisse deorum auctoritatem videtur*, alterum Plin. 34, 56: *hic consumasse hanc (aeris fundendi) scientiam indicatur*

Quae postquam exposuimus, vertamus nos ad inscriptiones contemplandas, quibus statuae honorariae memorantur. Primum observamus, ea infima aetate, ad quam horum titulorum longe maxima pars pertinet, ἄγαλμα quoque de hominibus usurpari, sed cum eidem viro eodem titulo ἀγάλματα et ἀνδριάντες tribuantur, notionis aliquam diversitatem intercessisse adparet: C. I. Gr. I 1625, l. 81: στῆσαι δὲ καὶ ἀνδριάντας αὐτοῦ ἢ ἀγάλματα. II 2771: ἀναθέσεσιν καὶ ἀγαλμάτων καὶ ἀνδριάντων. Add. 2775 b—d. II 3085 est ἀγάλματι μαρμαρίνῳ iuxta εἰκόνι χαλκῇ et εἰκόνι χρυσῇ, quae ita explicat Boeckhius ibid. II p. 664 a, ut ἄγ. statua sit, εἰκών vero, ubi nulla accuratior determinatio addita sit, videatur in his terris vulgo protomen significasse, et, cum quae no. 3067 εἰκών dicatur in theatro ponenda esse, 3068 ἀνδριάς vocetur, *non video*, ait, *cur* ἀνδρ. *hic non possit herma cum imposito thorace esse;* p. 664 b alia est explicatio verborum q. s. ἀγαλμάτων et ἀνδριάντων in inscriptione supra adlata no. 2771, hic enim ἀγάλματα *sunt signa deorum Myonis* (quod est nomen honorati) *causa dedicata in templis*, ἀνδριάντες *statuae viri ipsius;* deinde ad II add. 2775 b verba Boeckhii sunt haecce: ἀγάλματα *hic crediderim esse anaglypha, etsi p. 664 a de simili loco aliter iudicavi: nempe non necesse est, ut in omnibus terris et quavis aetate putemus eidem vocabulo eandem vim tributam esse.* — Aliter fortasse iudicavisset vir egregius, si tam facili conspectu, quam nobis ipsius praecipua opera nunc licet, magnam inscriptionem molem inter se conferre potuisset. Quod si quis fecerit, persuasum ei erit, id interesse inter ἄγαλμα et ἀνδριάς, ut ἄγ. *marmoream*, ἀνδρ. *aeneam* statuam designet, in verbo vero q. e. εἰκών nullam per se materiae notionem inesse

et toreuticen sic erudisse cet. Tamen non est, cur duo opera marmorea, quae memorantur, a claro Polycleto cum Brunnio K. G. I p. 281 abiudicemus. Cfr. Bursian. Griech. Kunst pag. 445. adnot. 52.

videbit. Atque certe expectandum, in publicis decretis materiam indicatam esse, cum quod ad talis honoris sumptum attinet, in multis regionibus plurimum interesset, utrum marmor an aes adhiberetur. Ad sententiam nostram probandam luculenter exempla adponemus. Ad εἰκών fere semper materia nominatur, quod plerumque aes est:

Εἰκὼν χαλκῆ est C. I. Gr. II 2376. 2486. 2488. 3085. 3185. 3657. Add. 2053 d. 2139 b, l. 36. 2349 b, l. 53. 2488 c. 3568 f, l. 54. III 4380 m. Add. 4269 d. 4278 k.

Εἰκόνες lapideae praeter II Add. 3424, l. 36, ubi eidem viro aeneae quoque tribuuntur, modo obcurrere videntur II 2377, 2383 et Add. 2374 e, l. 31, qui tituli proveniunt ex insula Paro, ubi nobilissimum vernaculum lapidem ad statuas fabricandas adhibitum esse, non mirum. Ob singularia merita εἰκόνες χρυσαῖ quoque vel ἐπίχρυσοι ponuntur: II 3085. 3524, l. 36 [1]). III 4315 n. Εἰκών materia non adiecta — si nihil praetervidi, quod tamen vix sperandum — in his modo titulis invenitur: II 2699 articulus additus (τῇ τε εἰκόνι) monstrare videtur, inscriptionem fuisse in ipsa statua, ubi materiam indicare non opus; 3067, l. 28 res minime certa, cum lapis mutilatus sit, ut tale quid fortasse incisum fuerit: στῆσαι δὲ αὐτοῦ χαλκᾶς εἰκόνας τρεῖς κτλ. Itaque restant modo inscriptiones tres: II Add. 2775 b. 2811 b. III 3831, in quibus nescio an εἰκών tabulam pictam notet, praesertim cum iuxta ἀνδριάς positum sit.

Ἀγάλματα μαρμάρινα modo inveni II 3085.

Ἄγαλμα materia non indicata: II 2771. Add. 2775 b—d.

Ἀνδριάς materia non indicata: II 2505. 2507. 2771. 2777. 2788/9. 2804. 2811—13. 2821. 2888. 2936.

---

1) l. 8: εἰκόνας τε χρυσίαις ὀντέθην καθὰ τοῖς τὰ μέγιστα τὸν δᾶμον εὐεργετησάντεσσι νόμιμόν ἐστι.

2954 B. 3068 A. 3092. 3420/1. 3488. 3491. 3495. 3498. Add. 2264 p. 2336 d. 2775 b—d. 2811 b. 2819 b. 2930 b. III 3881. 3884/5. 3952. 3960. 3960 b. 4332. 4352/3. 4355—57. 4367 d et g. 4411 b. 4413. 5838. Add. 3831 a[5] et a[7]. 4315 n.

Ἀνδριάς memorata materia ne semel quidem inveni, itaque cum statuarum honorarium longe plurimas aeneas fuisse constet (cfr. pag. 32), — quod inscriptionibus εἰκών praebentibus confirmatur — ἀνδριάς autem de eis longe saepissime dicatur, certum duco, ἀνδριάς aeneas statuas notare. Elucet enim e testimoniis Aristotelis supra adlatis, quam facile fieri potuerit, ut aenei qualitas, quae ad ἀνδριάντας fere semper adcedebat, paullatim necessaria fieret ad notionem constituendam. Sin autem de ἀνδρ. recte iudicavi, non potest ἄγαλμα marmoream statuam non notare, ut aequo modo e materia pendeat designatio, quod confirmat titulus unus, in quo ἀγαλμάτων materia nominata est. Minime autem praetervidi II 2384 obcurrere ἀνδριάντα μαρμάρινον, qui tamen titulus non refellit, sed confirmat etiam regulam; est enim Parius: docet igitur, in hac ipsa insula diserte indicatam esse materiam τῶν ἀνδριάντων, qui non aenei fuerint. — Haec verba vero aut in aliqua regione aut vulgo protomen significasse — quod de εἰκών Boeckhii sententia erat —, neque demonstrari neque negari potest.

Εἰκών.

Εἰκών notat artis opera, quoad hominum aut rerum mitationes sunt[1]), qua re efficitur, ut aeque de monumentis

1) Εἰκών ipsius apographi significationem adsumere potest: Luc. Zeux. 3 τὴν γε εἰκόνα τῆς εἰκόνος εἶδον neque non dicitur de apographo, quod speculum praebet: Luc. amor. 44 ἔσοπτρα τῶν ἀντιμόρφων χαρακτήρων ἀγράφους εἰκόνας. Apollodor. II 4, 2: ὁ Περσεὺς ...

statuarii atque pictoris usurpari possit. Quamquam igitur paene cuiusvis generis opus hac voce designatur, tamen non idonea est ad generalem artificii notionem exprimendam: cum nihil enim insit nisi μιμήσεως notatio, quae etiam sine ulla arte e. g. deformando fieri potest, notionis ambitus amplior, ex alia vero parte angustior est, cum in ea opera, quae artifex non secundum exempla a natura praebita, sed secundum notiones ipsius menti inhaerentes fingit, partim omnino id verbum non patuerit, ut in monumenta architectonica, partim valde sero extentum sit, ut in deorum simulacra. Quae res clarissimum est maximique momenti testimonium, quantum abfuerit, ut Graeci veram deorum speciem simulacris repraesentatam esse crediderint atque confirmat definitionem nostram verbi, quod ad simulacra notanda usitatissimum est (ἄγαλμα), secundum quam deorum signa Graecis nil nisi pulchra anathemata erant.

Et in tabulas pictas et in opera statuaria εἰκών patere, aperte docet Luc. imagg. 3: εἰκόνα, πρὸς ἣν μόλις ἂν ἢ Ἀπέλλης ἢ Ζεῦξις ἢ Παρράσιος ἱκανοὶ ἔδοξαν ἤ εἴ τις Φειδίας ἢ Ἀλκαμένης. Cfr. Aristot. poet. p. 1460, b 9: ὥσπερ ἂν εἰ ζωγράφος ἤ τις ἄλλος εἰκονοποιός. Verbum persaepe, ut par est, effigies indicat, ad quod illustrandum pauca ex ingenti testimoniorum multudine eligam, quae ad statuas spectant: Luc. quom. hist. conscrib. 12: ὁ Ἀλέξανδρος, ὅς γε οὐδὲ τὴν τοῦ ἀρχιτέκτονος τόλμαν ἠνέσχετο, ὑποσχομένου τὸν Ἄθω εἰκόνα ποιήσειν αὐτοῦ, similiter pro imagg. 9. Id. Demon. 58: ἐπεὶ δὲ εἰς Ὄλυμπίαν ποτὲ ἐλθόντι αὐτῷ Ἠλεῖοι εἰκόνα χαλκῆν ἐψηφίσαντο. Plut. Pericl. 31: καὶ τοῦ Περικλέους εἰκόνα .. ἐνέθηκε (Φειδίας). Id. Alex. M. 2, 2: Ἀλέξανδρος ἐκέλευε Λύσιππον εἰκόνας αὐτοῦ δημιουργεῖν. Vit. X

βλέπων εἰς ἀσπίδα χαλκῆν, δι' ἧς τὴν εἰκόνα τῆς Γοργόνος ἔβλεπεν. Cfr. Luc. dial. marit. 14, 2. — Eurip. Herc. fur. 1002 (ἀλλ' ἦλθεν εἰκὼν, ὡς ὁρᾶν ἐφαίνετο, Παλλάς) εἰκών est *umbra* ut latine *simulacrum*.

oratorr.: χαλκὰς εἰκόνας ἀναθεῖναι τῶν ποιητῶν Αἰσχύλου κτλ. Paus. 4, 31, 10: ἡ δὲ εἰκ. τοῦ Ἐπαμεινώνδου. 6, 3, 15: εἰκ. Ἀλκιβιάδου χαλκῆ. 10, 15, 1: Φρύνης δὲ εἰκόνα ἐπίχρυσον. — Persaepe ἀνδριάς et εἰκών promiscue adhibentur: Paus. 6, 2, 6: Ἀντίπατρος .. ἀνέγραψε τῇ εἰκόνι .. τούτου μὲν δὴ Πολύκλειτος τὸν ἀνδριάντα εἰργάσατο. 6, 4, 5 (de anadumeno agens): ἄλλως γε οὐκ ἴσμεν ὅτου τὴν εἰκόνα ὁ Φειδίας ἐποίησε. Cfr. 6, 10, 3; 11, 6; 13, 2. 8, 38, 5; 49, 1. 10, 10, 4 et 5. — De bestiis est e. g. Paus. 8, 42, 4: καὶ δρακόντων τε καὶ ἄλλων θηρίων εἰκόνες. Plut. Alex. 40: εἰκόνας χαλκὰς τοῦ λέοντος καὶ τῶν κυνῶν. De heroibus Paus. 1, 24, 2: ἄλλαι τε εἰκόνες καὶ Ἡρακλέους. 1, 8, 2: μετὰ δὲ τὰς εἰκόνας τῶν ἐπωνύμων ἐστὶν ἀγάλματα θεῶν. 5, 25, 9: τὴν τοῦ Ὀδυσσέως εἰκόνα. 10, 10, 4: κεῖνται γὰρ δὴ εἰκόνες καὶ τούτων .. ἀπαντικρὺ δὲ αὐτῶν ἀνδριάντες εἰσὶν ἄλλοι .. ἡρώων δέ εἰσιν αἱ εἰκόνες. Nihilominus 3, 14, 8 distinguit inter heroem et virum: τῇ μὲν ἔστιν ἄγαλμα Ἡρακλέους, τῇ δὲ εἰκὼν Λυκούργου[1]). De deis Pausanias verbo non utitur: 1, 2, 4 enim (Ποσειδῶν ἐστὶν ἐφ' ἵππῳ .. τὸ δὲ ἐπίγραμμα τὸ ἐφ' ἡμῶν τὴν εἰκόνα ἄλλῳ δίδωσι, καὶ οὐ Ποσειδῶνι), ubi simulacrum memorat, quod mutata inscriptione ad hominem honorandum descenderat, verbum q. e. εἰκόνα generaliter statuam notat; 10, 10, 1 (τῷ βάθρῳ ἐπίγραμμα μέν ἐστιν, ἀπὸ δεκάτης τοῦ Μαραθωνίου ἔργου τεθῆναι τὰς εἰκόνας) multo maior signorum pars heroas repraesentat, quibus Miltiades quoque additus est, deorum modo Minervam et Apollinem. Diserte distinguit ἀγάλματα et εἰκόνας loco paullo ante exscripto 1, 8, 2 et alio quoque

1) Poterat tamen de Lycurgo ἄγαλμα quoque dicere teste Paus. 3, 16, 8: Λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ Λυκούργῳ .. οἷαδη θεῷ πεποιήκασι .. ἱερόν. In gymnasio vero conlocatus erat, ut ephebis, de quorum ludis leges tulerat, exemplum humanae sapientiae et virtutis praeberet, non quo deis adscriptus fuisset.

modo variat sermonem e. g. 10, 16, 6: στρατηγῶν δὲ εἰκόνας καὶ Ἀπόλλωνά τε καὶ Ἄρτεμιν. Haud dubie igitur 8, 42, 2 vera est SCHUBARTI coniectura Αὔγης pro αὐτῆς, ita ut Pausaniae unus modo restet locus 2, 2, 7, quo ξόανα Bacchi dei εἰκόνας dicit. Quod an recte longo intervallo, quod inter nomen dei et εἰκόνες interest, defendi possit, nescio, ut τὰ ξόανα ταῦτα scribere malim[1]). — De deis εἰκών mihi quidem primum apud Strabonem VIII p. 354 C obvenit (πρὸς τί παράδειγμα μέλλοι ποιήσειν τὴν εἰκόνα τοῦ Διός)[2]), OVERBECKIO (l. l. p. 246) apud Luc. de sacrific. 11.

Notissimus Plinii de olympionicis locus 34, 16 (*omnium, qui vicissent, statuas dicari mos erat, eorum vero, qui ter ibi superavissent, ex membris ipsorum similitudine expressa, quas iconicas vocant*) certe ita interpretandus est, ut eorum, qui ter vicerant, imago quam simillima conlocanda curaretur (ODOFR. MÜLLER. Archaeol. 420 adn. 3). Alium in modum intellegit VISCONTIUS, iconogr. grecq. vol. I p. 10 adn. 3: »cette épithète étoit presque un synonyme d' ἰσομέτρητον *grand comme nature*«, quod, si sensum verbi q. e. εἰκών spectas, minime probari potest. — In scriptoribus Graecis εἰκονικός non inveni ante Callixenum (Athen. V p. 205 F).

Εἰκόνα γραπτὴν τελείαν picturam totius figurae, εἰκόνα

1) SCHUBARTUS l. l. p. 566 adfert 8, 11, 3 et 9, 35, 6/7, ubi ἄγαλμα et εἰκών alternare dicit. Sed priore loco ἄγαλμα omnino non extat, εἰκών autem tabulam pictam notat; fortasse igitur locus a typotheta non recte indicatus est. Altero vero post ἐν τῷ ἱερῷ τῶν Νεμέσεων ὑπὲρ τῶν ἀγαλμάτων sequitur Χάριτός ἐστιν εἰκών, Ἀπελλοῦ γραφή, .. Σωκράτης τε .. Χαρίτων εἰργάσατο ἀγάλματα Ἀθηναίοις. — Piget talia renunciare de viro, qui alias Pausaniae utilem operam navavit, sed cavendum, ne eius auctoritate decepti alii in errores incidant.

2) Verbum παράδειγμα in clarissima ponit luce, in voce q. e. εἰκών semper effigiei notionem fuisse, significat enim *exemplum* (vernacule »modell«). Cfr. Luc. imagg. 17. Prom. 17. — *Exemplum* hoc sensu: Prop. 2, 3, 42. Plin. 34, 56.

γραπτὴν protomen pictam, quae alias dicatur εἰκὼν γραπτὴ ἐν ὅπλῳ s. ἔνοπλος, significare docuit Boeckhius ad C. I. Gr. II p. 662 seqq. Haud dubie recte, si γραπτή additum est, sed εἰκὼν ἔνοπλος certe est *aereus clipeus* (ectypon in clipeo rotundo), quod imaginum genus Plin. 35, 4 *imaginum picturae* obponit (cfr. Jahn. darstellungen des handw. p. 99).

Verba potiora, quibus ectypa notantur.

Sequens conspectus imprimis Pausaniam et Lucianum respicit.

Primarius sensus verbi q. e. τυποῦν *fingere* est, ut ap. Plut. Quaest. conviv. II 3, 2: καὶ γὰρ αἱ τέχναι πρῶτον ἀτύπωτα καὶ ἄμορφα τυποῦσιν; Callistrat. stat. 4 et 6; Anthol. Gr. I 6, 11, II 185, 5; unde factum est, ut τύπος significet *quod fictum est* i. e. *speciem*. Ἀρχέτυπον valet *quod imitationi inservit*, sive natura sive arte effectum est; ἀποτυποῦν *imitando exprimere*. — Deinde τύπος dicitur cum artiore sensu de *forma*, quam fictam esse necesse est, ut alia confici possint. Ad quae illustranda unus sufficit Luciani locus: Alex. 21.

Alia est verbi q. e. τύπος notio apud Pausaniam, scriptorem in his rebus accuratissimum: est enim planitia, e qua opus anaglyptum extat: 6, 23, 5: τύπος Ἔρωτα ἔχων ἐπειργασμένον κτλ. 8, 31, 1: ἐπειργασμένοι δὲ ἐπὶ τύπων. 8, 37, 1: καὶ ἐν τῷ τοίχῳ λίθου λευκοῦ τύποι πεποιημένοι καὶ τῷ μέν εἰσιν ἐπειργασμέναι Μοῖραι καὶ Ζεὺς κτλ. — Unde facile intellegitur, ἐκτυποῦν significare *anaglypta e planitie sculpere*, ἐκτετυπωμένον *anaglyptum* e. g. Paus. 6, 14, 9: ἀνὴρ .. ἐστὶν ἐκτετυπωμένος ἐπὶ στήλῃ. Plato conviv. 193; Xenoph. de re equestr. 1, 1. — Apud Aristot. de mundo p. 199 B (φασὶ δὲ .. Φειδίαν .. ἐν μεσότητι ταύτης τῆς ἀσπίδος τὸ ἑαυτοῦ πρόσωπον ἐντυπώσασθαι) ἐντυποῦν cum eodem sensu dici poterat, nam superior quoque planitia data cogitari potest, in

qua figurae sculpantur. Eodem iure est ἐμποιεῖν ap. Paus. 1, 24, 7 et ἐγκολάπτειν Luc. Zeux. 11. Scyth. 2.[1])

Praevalet tamen altera contemplatio, verbum enim aliud ex ea profectum longe usitatissimum est Pausaniae ad anaglypta designanda: ἐπειργάσθαι, cui unde opera extent, aut dativo sequente aut praepositione ἐπὶ cum dativo vel cum genetivo repetita additur; alia praepositio bis modo adiecta est: ἐν (στήλῃ) 1, 44, 5; ἐς (στήλην) 8, 53, 10. Dativus est 1, 24, 7 (βάθρῳ). 2, 1, 8 et 9 (βάθρῳ); 20, 8 (στήλῃ); 27, 2 (θρόνῳ). 3, 17, 3 (χαλκῷ). 4, 32, 2 (στήλῃ). 10, 34, 6 (στήλῃ) et 8 (ἀσπίδι); ἐπὶ cum dativo 8, 30, 8; 31, 3; cum genetivo 8, 37, 6. 9, 40, 3. Εἰργασμένον et ἐπὶ divisa obveniunt 5, 11, 2; 17, 5 (c. genet.); 5, 18, 8; 8, 16, 3 (c. dat.); 8, 48, 8 (c. genet. et dat.). — In his exemplis erat εἰργασμένον εἶναι, praeter 2, 1, 8; 20, 8. 3, 17, 3. 10, 34, 8 ἐπείργασται, sed invenitur alius quoque modus, quo planitia ectypon dicitur ἔχειν ἐπειργασμένον: 2, 17, 4. 5, 10, 4. 8, 11, 8. — 1, 29, 6 habes: στήλη μαχομένους ἔχουσα ἱππεῖς; πεποιῆσθαι ἐπὶ c. dat. 8, 31, 4; 34, 6, ἀνακεῖσθαι ἐπὶ c. genet. 1, 21, 3, ἔπεστιν c. dat. 5, 19, 4.

E quo conspectu elucet, eos qui verba Pausaniae 1, 25, 2, quibus de Attali regis donario agitur (πρὸς δὲ τῷ τείχει τῷ νοτίῳ Γιγάντων .. πόλεμον κτλ. ἀνέθηκεν Ἄτταλος) de operibus ectypis accipiunt, non respicere scriptoris usum, cuius in his verbis utendis constantia summa est, quare sententiam illam falsam esse pro certo habeo. Equidem πρός de anaglyptis adhibitum modo inveni ap. Aeschyl. Sept. 492 et 643, qui loci certe neque in Pausaniam neque omnino in pedestrem sermonem illustrandum quidquam valent.

1) Cfr. ἐκκολάπτειν de aquilis Promethei iecur evellentibus: Luc. Prom. 9. Id. vera histor. pr. 22.

VITA AUCTORIS.

Maximilianus Fraenkel natus sum Landsbergae, in urbe ad Warte flumen sita, die XI m. Martio a. h. s. XLVI patre Samuele, matre Fanny e gente Salinge, quos pio gratoque animo colo venerorque. Instructus sum schola publica, quae cum iam satis provectus essem, in scholam realem, quae dicitur, transformata gymnasio amplificata est. Ut librorum amantissimum prima scholae classe paene absoluta m. Iulio LXII boni parentes Berolinum me miserunt, ut ad bibliopolae negotia instituerer. Ubi cum pulchra et nova, praecipue museorum thesauros, quae tunc primum inspicere mihi licebat, cognoscendi et intellegendi maiore quam negotiorum studio incenderer, primo vigore florens vitaeque plane ignarus sperabam fore, ut necessariam doctrinam paucis otii horis, quae cotidie concessae erant, mihi pararem. Itaque per sex annos omnibus viribus contendi, ut me erudirem, annos, hercle, haud beatos, sed quomodo vitae condicionem mutare possem, non videbam. Paullatim miro artis antiquae amore affectus eius monumenta et historiam cognoscere studebam, sed cum mox intellexissem, omne antiquitatis studium inane et futile esse nisi accurata linguae doctrina nisum, id egi, ut linguam latinam repeterem, graecam sine praeceptore discerem. In qua re initio quidem satis feliciter successi, sed cum valetudo graviter labefieret, aut studia negotiis aut negotia studiis condonanda esse vidi. Itaque mense Octobr. LXVIII in patriam urbem redii, ut ad maturitatis examen sustinendum me praepararem, adstipulantibus bonis parentibus, quamvis e certa condicione in valde incertam reicerer. Usque ad mensem Iulium LXIX

lectionibus interfui graecis latinisque CAROLI STANGII, cui utinam ipsi potius gratias agere quam eius manibus habere possem! In ipso enim aetatis flore tota urbe lugente vir abreptus est praestantissimus, insignis doctrina et, quod maius, singulari morum integritate, nil nisi officia respiciens, qui semper mihi ante oculos versabitur ut exemplum viri omnibus numeris absoluti. Nec non plurimum debeo GAUSSIO, qui nunc acumine suo et mira docendi dexteritate gymnasium Bunzlaviense celebrat decoratque, a quo per VI menses mathesi instructus sum, atque F. H. KAEMPFIO, viro probissimo, gymnasii Landsbergensis directori, qui utilissimis consiliis optime me adiuvit. A magistratu, qui scholis Marchicis praeest, ad gymnasium Spandoviense me conferre iussus et a PFAUTSCHIO directore summa comitate et humanitate receptus, examine feliciter superato die XI m. Septembr. LXIX maturitatis testimonio instructus sum. Tandem universitatis Berolinensis civibus adscriptus per septies sex menses audivi viros illustrissimos BONITZIUM CURTIUM EBELUM HARMSIUM HAUPTIUM HEYDEMANNUM HÜBNERUM KIEPERTUM KIRCHHOFFIUM LEPSIUM MOMMSENUM MÜLLENHOFFIUM STEINTHALUM TRENDELENBURGIUM, ad exercitationes archaeologicas CURTIUS, ad philologicas et epigraphicas KIRCHHOFFIUS aditum mihi concesserunt. Quibus omnibus, cum uberrime mihi dederint, quae longe frustra petieram, gratias ago quam maximas; plurimum vero debeo viris optimis CURTIO et KIRCHHOFFIO, qui insigni benevolentia, qua studia mea adiuvarunt, in perpetuum me devinxerunt.

THESES.

I.

Metaphysice non est digna, quae scientia vocetur, nisi accurata intellectus humani crisi nisa est.

II.

Non possunt leges ethicae constitui, quibus certae actiones aut iubeantur aut vetentur, sed virtus in eo sita est, ut voluntatem, e qua actiones pendent, conscientia nostra cum voluntate divina congruere testetur.

III.

Clarissimum Veneris simulacrum Meli repertum etiamsi cum pomo restituendum sit, tamen ad iudicium Paridis referri nequit.

IV.

Cum Niobidarum statuis Florentinis dei non erant coniuncti.

V.

Euripid. Hippolyt. 670/1 scribendum est:

τίνας νῦν τέχνας ἔχομεν ἢ λόγους
σφαλεῖσαι καθάμμα λύειν ψόγου (codd.: λόγου).

(Cfr. schol.: τὸν δεσμὸν τῶν ἐγκλημάτων ἀπολύσασθαι.)

VI.

Euripid. Bacch. 683 legendum est:

ἡδὺν δὲ πᾶσαι πώμασιν παρειμέναι.

Cfr. Orest. 881. Herc. fur. 1042. Phoen. 852. Cycl. 591.

LIBRARY OF CONGRESS
0 003 035 988 4

JAN 30 1874